

**Y** &  
2662

II. 80. F.

(cat. 2,5-17.)

**RECTOR  
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS**  
**IO. GOTHOFREDVS  
DE BERGER**

**CONSILIARIUS AVLICVS ET  
ARCHIATER REGIVS ORDINIS  
MEDICI PROFESSOR PRIMARIUS AC  
TOTIVS ACADEMIAE SENIOR**

# CIVIBVS ACADEMICIS



Salabrites  
Vittebergae

**S**anctae huic augustaeque diuinorum et humanarum artium  
sedi tam inuident obtrectatores, ut, aerem incolarum  
ualetudini infensum, pugnant, eumque, ex putridis con-  
cretum rancidisque vaporibus, peruincere conentur. Hinc unl-  
gare ac tritum fermone Germanico increbuit prouerbium, in-  
condito quodam rhythmo comprehensum, singulare prorsus  
fortunae munus esse, si quis ciuium Academicorum fano dis-  
cet corpore VVitteberga. Dicinon potest, quantum detrimen-  
ti attulerit reipublicae literatae uanissimum hoc ac detestabile o-  
pinionis commentum, quod, quasi per manus traditum, animosque  
hominum, uel prudentissimorum, peruagatum, etiam nunc altas a-  
git radices, ut, uix labefactari posse, uideatur. Enimuero hi, in angu-  
stias coacti, telo illud propugnare audent, si Diis placet, acerrimo,  
uidelicet occurrere loca hic palustria, unde exhalationibus coe-  
nosis foedisque corrumperetur aer, qui omnium morborum  
causa ab Hippocrate merito habetur. Crassus sane ut uale-  
tudini uehementissime aduersatur, ita indurat ingenia obtunditque,  
qualem Boeoticum fuisse, perhibet eruditorum in vulgo satis nota  
uox, cui Atheniensium liquidus purusque ac tenuis recte oppo-  
nitur, ut illi ideo haud secus, ac trunci stipitesque, hi omnis in-  
genii atque iudicij principes, in ueterum monumentis, numeren-  
tur. Quanquam, praeter coelum, et aliquid naturali cuiusque  
bono tribuendum, apte differit Io. Andr. Bosius, V. C. in notis  
ad Epaminondam Nepotis, idque clarissimorum aliquot Thebanorum  
exemplis, quorum patria, in Boeotia sita, male, uti mo-  
do dictum, audiit, confirmat, minus dissentiente Poeta, sum-  
mos posse uiros, et magna exempla datus, ueruecum in patria  
crassaque sub acre, nasci. At enim si prouerbium illud de VVite-  
berga conuicium dixeris maledicentissimorum hominum, di-  
xeris, quod res est, eamque potius, aeris ibi salubritatem praed-  
icaturus, comparaueris, quod Menander, Rhetor, preecepit,  
cum Attici tractus natura longe praestantissima. Locum profecto  
curandae ac tuendae sanitati commodiorem Musarum domicilio  
deligere haud potuisset diuina prouidentia, quippe qui montibus  
caret, uallibus, cauernis, speluncis et lacunis, uentorum, noxiis  
anhelitus difflantium discutientiumque, impedimentis, solo item  
pingui, tenaci, uido et uliginoso, unde exspirationes oriuntur gra-  
uiter olentes, nebulae, tempestates. Campi, non siccitate torridi, aut  
frigore torpentes, nec nimiis imbris, aut inundationibus, pa-  
lustres, uerum, qua orienti obiiciuntur soli, et sigillatim flumine,  
Elystro, cum Albi permisto, alluuntur, amoenissimi salubrem  
pastum praebent animantibus, et limpidissimarum scatebris a-  
quarum abundant, in quibus Lutheri fons, et colore crystallino,  
et sapore delicato, augustus, longe lateque celebratur. Ur-  
bem, a meridie, Albis praeterfluit, non turbidus, aut inquinatus,  
sed per purissimas arenas et fabulum uolutus, terram proximam,  
instar Nili inundantis, nonnunquam foecundat, tantumque abest,  
ut, restagnantibus ex se aquis, aut putridis, maleque olentibus, siue

nitrosis, salsis, crudis ac duris, ualetudini noceatur, ut eae, infontium urbanorum uenas redundantes influentesque, a nonnullis potius haustae, medicamenti loco, multis quidem congiis, non sine uoluptate, potentur. Solum ipsum arenosum et solidum, cum primis cis Albit, omnem exhalationum materiam excludit, nihilque uenenati, obstructo plane exitu, patitur erumpere, ac, planicie patentissima excurrent, liberum australibus et aquilonaribus transitus permittit uentis, neque eorum cursum, aut depressione locorum nimia, aut elatione, impedit, pestilentesque morbos nunquam ex se progignit. Sed quid opus est uerborum anfractibus, cum rerum testimonia, in hominibus nostris, natu grandibus, iisque non paucis, ad sint, qui ipsos terminos a Daude, uate rege, constitutos humanae naturae, transierunt, aduersariorumque nugas, de diro ac uitioso, nescio quo, aere VVittebergenfi, re ipsa exploserunt. Praeter Langios, Sennertos, Fleischhaueros, aliosque complures utriusque sexus, ad seculi prope, tot millibus mortalium hodie dengati, tractum, aetate prouectos, ante oculos nunc uersatur, auper admodum uiuendi munere perfunctus, **GEORGIVS MI  
CHAELIS CASSAI**, Hungarus, ingenuarum artium atque literarum doctor et Sapientissimi Ordinis Assessor, dignissimus, cuius uitiae initium, progressionem et exitum, ex commentariis ab ipso conscriptis, paullo diligentius repetamus. Anno instauratae a Christo salutis, cccxci, mense Aprili, in villa, inferiori Steina, superioris Hungariae, Comitatus Bariensis, agri denique Zarnouiensis, eaque ripae fluuii, Granii, imminente, natus optimis parentibus, Stephano Michaeli, et Elisabetha. Hi non tam ignobiles fuerunt, quin filii natalibus aliquid splendoris addiderint, utpote quorum alter dignitatem senatoris atque iudicis, apud suos, cum laude sustinuit, et in tantam uenit iustitiae opinionem, ut, ex hac, vir bonus et nominaretur, et haberetur, altera stirpis Luciniae, pietatis sigillatim atque honestatis virtutibus, memoriam sui commendauit. Auum paternum coluit Casparum Michaelem, maternum uero Laurentium Lucinium, honoratos viros, ac morum grauitate praestantes, illum praecepue ueneratus, qui cognomen suum uel a maioribus accepit, uel ex castro, Michalouzio, a Thracibus postea occupato, inuenit, cui aliud nouumque, ex cultura agrorum, certi leguminum generis, quod Latini *milium*, Hungari autem et Bohomi *Cassa*, dicunt, feracium, adiecta a nostro litera *i*, *Cassai*, accessit, more instituto que Romanorum, qui a fructibus Cicerones, Pisones, Lentulos et Fabios, appellarunt. Cum uero nascendi fors cum infima vulgi fece nequissimumque communis sit, at educatio homines distinguat, id sibi negotii datum existimarent parentes, filium, domi forisque ingenue educandum, ac literis, quibus aetas quaeque impertiri debet, instituendum probe ut curarent, usi, ad hoc, opera clarissimorum atque erudienda publice iuuentutis peritissimorum doctorum, in patria, Io. Gabrielis, in Zarnouia, Io. Serarii, in Vybanio, Mart. Scapalidi, eiusdemque successoris, Andreae Salkalizky, in oppido Raiocio, Danielis Monkouceni, aliorumque alibi uirae, morum, atque artium magistrorum. Gymnasia porro adiit Caschouiense, Eperiense, de-

numque, A. cīc lōc līxxi, VVratislauiense Elisabethanum, quibus  
tum, auctoritate tituloque Rectorum ac Professorum, praefuerunt  
Georg. Raduchius, M. Io. Fabricius, Elias Ladiuerus, D. Samuel  
Pomarius, M. Isaacus Zabanius, Elias Thomas, Io. Gebhardus,  
M. Mart. Hanckius, D. Io. Acoluthus, M. Godofredus Fridericus,  
M. Christian. Hoffmannus, quorum sane singulorum memoriam  
tanto semper coluit religiosius, quanto impensis his ipsis non  
iuendi quidem, sed bene sapienter ueniendi, acceptam retulit ra-  
tionem. Sic ab illis uirtutibus, in uera pietate pariter, ac honestate,  
innixis, doctrinisque variis et disciplinis, cum diuinis, tum humanis,  
instructus, in iisque, quoad VVratislaiae degit, summam Illustris  
Christiani Hoffmannsualdauii, benignitatem, adiutricem studiorum  
fiuorum atque fautricem, expertus, A. cīc lōc līxxv, mense Maio, VVite-  
bergam contendit. Quod si Academiam hanc uocaueris aut the-  
atrum quedam publicum, in quo Michaelis nostri egregia indole,  
ingenioque praelari contentiones spectandas se praebuerunt,  
aut campam ingentem immensumque, in quo excurrere longius  
potuit eiusdem diligentia ac incredibilis discendi aequa, ac  
docendi, cupiditas, aut stadium, in quo ipsum periclitari uires, exerci-  
tationibus non corporis, sed animi ingenioque, oportuit, indicabis  
id, quod secundissimus rerum euentus comprobavit. Pri-  
mum, in ciuitatem eruditam receptus a Rectori, Joachimo Ner-  
gero, ICto, et Ordinis Philosophi Decurione, Christiano Roehren-  
leo, uestigis Pythagoraeorum insistens aliquandiu, sacro quadam si-  
lentio, in sapientiae humanitatisque studiis, ac speciatim in Physicis  
Kirchmaieros, in Mathematicis Strauchios et VValtheros, in Gracis et Philolo-  
gicis Stolbergios, Rudelios et VVillemeros, in disciplinis sanctioribus, Calouros, Meisne-  
ros, Quenstadios, Deutschnannos, sedulo audiuit. Deinde, A. cīc lōc līxxv, a Senatus  
modo laudati Praefide, Roehrenleo, festo solennique ritu doctor renunciatus,  
paulo post Speciminiis publicis, de aerario lauto, et sacro, grauiter uetens, tu-  
periori cathedra se dignum exhibuit perinde, ac potestet alio instuendi. Quo  
perfecti doctoris munere ita perfactus est, ut, uel magni nunc nominis uiri,  
praecepis eius linguarum non magis, quam institutis philosophiae, ac disceptatio-  
nibus subaci, Michaeli se nostro deuictos profiscantur, ac lateri ipsius, in scholis,  
adhaesisse, magnae sibi laudi ducant. Tum, A. cīc lōc līccxi, in Ordinem Phi-  
losophorum cooptatus, disputacione, de propositionibus personalibus, tributam  
sibi Assessoris dignitatem vindicauit, eamque, A. cīc lōc līccxli, principatus Col-  
legii honore amplificatam, ac uiginti circiter bonarum artium doctorum renunciatione  
confirmatam, ad extreum uique senectutem, ornauit. A. cīc lōc līccxxvii fel-  
lici consubio sibi Arnstadii iunctam, Io. Drechsteri, Viri conularis, exulis tunc aque  
extoris filiam, Hungaram, cui nomen Elsner fuit, domum, VVittebergam duxit.  
Matrimonium hoc ratum habuit Dei benignitas, fortunauitque ac donauit quinque liberis,  
quorum tres filii tenelli, unica filia, sex et decem annis major, quartusque,  
inuenis admodum literatus et pius, magnaue expectationis, et Magistrorum  
eloquentium numero iam iam ascriptus, separatis temporibus, decesserunt, in iisque  
ultimus anno cīc lōc līccxli post, quam mater optima, ex aede sacra redi-  
ens, in ipso Coenobii Augustiniani, ubi habitabat, ingressu, examinis repente conciderat.  
Tandem et noster, variis patriae casibus, torque rerum suarum difficillimaram discrimi-  
nibus, ac laboribus ingenii, confectus, die superiori XIII Octobris, hora III matutina,  
anno aerae octagesimo quinto, et amplius, a morte prostratus expirauit. Morris hoc  
genus quamvis improbus plane inopinatumque accidere soleat, cum tamen ipsum  
non oppresit imparatum, qui, semper ardentius illam Paulinam, id est, demigrationem  
in coelestem patriam cogitans, Iesum, istius ducem itineris, animo est complexus. Ce-  
terum Michaelis memoriam ueritate nulla oblitterari patietur posteritas, que,  
in gratiam pauperum, qui ex Pannonia huc, studiorum caufa, accedunt, quinque  
millia uncialium numerum, ab eodem quondam ipso pauperrime undique collecta,  
horumque subditis dicaras usuras et bibliothecam, mitabitur, ac grato praedicabit animo,  
Vos, Cives, una cum Patribus Academiae, de Iuuentute studiosa, immortalis  
hocce beneficio, Viri optime meriti fuimus, ex aedibus VVichmannhausenianis  
hodie, hora I, ducendum, et solenni oratione sacra cohonestandum, frequen-  
tes, quod humaniter rogo, fuisse prosecutos. XII Kal. Novembris.

A. cīc lōc līccxv

Pon Yé 2662

40

V



5b

v218

b017

M.C.





2

**RECTOR**  
**ACADEMIAE VVITTE**  
**IO. GOTHOF**  
**DE BERG**  
**CONSILIARIUS AV**  
**ARCHIATER REGI**  
**MEDICI PROFESSOR P**  
**TOTIVS ACADEMIA**  
**CIVIBVS ACAD**

